

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Band: - (1747)
Heft: 5

Artikel: Dissertatio epistolica de Vhaballatho
Autor: Breitingerus, J. Jacobus / Bouhier, Jean
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394599>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 06.10.2024

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Differtatio Epistolica
de
VHABALLATHO.

Viro Inlustri atque Eruditissimo
D. JOANNI BOUHERIO,

Senatus Regii Principi Dignissimo.

S. P. D.

JOAN. JACOBUS BREITINGERUS.

Equidem singularis illa, qua me dudum complecti & deinceps usque fovere solebas, Humanitas Tua alte inhæret pectori, meque continuis & nunquam intermissis occupationibus districtum subinde sollicitavit, ut ad Te scribendi impetum resumerem & saltem quo studio admirabilem Tuam doctrinam, Tuorumque erga me meritorum memoriam colam atque prosequar, testatum facerem: Huic animo novos Tute, INLUSTRIS PRINCEPS, adhibuisti stimulos, cum ante aliquod tempus editam illam Epistolam, qua vexatissimi nummi Epigramma πολυθρύλλητον dilucide explicasti, per manus Excellentissimi SCHEVCHZERI quondam nostri, (quem inevitabili fatorum lege nobis & Reip. Literariæ non ita pridem ereptum suo merito lugemus) ad me dares; quo munere me, utut in officio negligentem, aliquo tamen apud Te loco usque esse ultro significasse mihi videbaris: Sed
nescio

nescio qui fuerit factum, ut cum quid officii mei rationes a me exigant probe intellexerim, me has partes explere conantem novæ semper curæ ab incepto retraherent, quominus & animo meo & officio adhuc fuerit satisfactum: In quo quidem quanquam ab officii negligentia absolvi penitus non possum, veniam tamen ab æquitate Tua me facile impetrare posse confidebam; cum nemo ignoraret, quantum onus mihi fuerit suscipiendum, qui labores exantlandi, ut fidem publico datam de procuranda nova τῶν O editione liberarem: & profecto per integrum triennium hoc opus me totum ita exercuit, ut dum in eo fingendo atque elimando desudarem, omne aliud studiorum genus & jucundissimum Literarum commercium mihi abjiciendum fuerit, ut huic uni operæ vacarem: accessit mox etiam quod biennio abhinc publico docendi muneri in Gymnasio nostro fuerim admotus, quo nova mihi curarum accessio facta est; auspicatus sum hoc munus solemni oratione *de Lingua Deo O. M. vernacula & præcipuis ejus virtutibus.* Et cum confecto singulari Dei gratia opere biblico in portu jam navigare mihi viderer, T*** nostri fordida perfidia novos subito excitavit fluctus, qui me non sine temporis & rei familiaris dispendio misere aliquamdiu exercuerunt. Hæc confido facilem & æquum Te mihi reddent; neque, si quid intelligo, de me ad meliorem frugem aliquando revocando desperas: quorsum enim spectaret præclara illa Tua benevolentia & insignis Liberalitas, quam novo atque luculento munere superioribus diebus declaratam voluisti, nisi ut meam sive ignaviam, sive pervicaciam expugnares: Et forem profecto
ab

ab omni Humanitatis sensu prorsus alienus, si tantis beneficiis ac studiis a Te provocatus, ullam amplius moram interponerem, quin gratum ac Tibi devotum animum aperirem, atque testarer perpetuum me Tuarum virtutum cultorem fore

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

Affidue legi opuscula Tua eruditissime & elegantissime, ita me Dii ament, conscripta, quorum exempla Tuæ Liberalitati accepta fero, neque quantopere illis fuerim delectatus, verbis facile expresserim: Mirifice sane confirmabar in illa sententia, quam dudum de singulari Tua Doctrina concepi, qua non secus ac dignitate inter Principes hujus ætatis Viros Tuo merito emines: Tanta orationis vis, tantum lumen explicationis, ea in investigando sagacitas, ea in judicando ἀγχινοια, ut felicissimi in recondito hoc Literarum genere Arbitri gloriam jure Tibi vindicare possis, & Eruditissimi quique eam ultro Tibi tribuant. Eruditissima illa Disquisitio Tua in vexatissimum Vaballathi nummum, qua monogramma illud VCRIMPR. sagacissime explicas, & diu jam agitatam quæstionem de Vhaballathi origine per occasionem non leviter attingis, me ad ejus quæstionis pleniorum investigationem excitavit; de qua quid mihi videatur pluribus persequar, ut ad iudicii Tui ἀγχινοια meas de hoc argumento conjecturas seu hallucinationes exigam; Tuo enim iudicio stabunt cadentve. Quæritur primo quibus Parentibus fuerit genitus Vhaballathus? Inter omnes antiquos historicos uni VOPISCO nominatus, qui in *Aurel.* cap. 38. de eo memoriae prodidit,

didit, quod Zenobiæ filius fuerit, eumque aperte *filium* non *privignum* appellat: In hoc testimonio plurimi acquiescunt, neque quicquam priscorum fide opponi potest, quod hanc opinionem convellat: Vaballathus reliquis præter Vopiscum Scriptoribus indictus; TREBELLIVS quidem POLLIO Odenathi filios, ex priore conjugio genitum Herodem, ex Zenobia Herennianum & Timolaum memorat; de Vaballatho altum silentium. Quid autem hoc Pollionis silentium ad minuendam Vopisci fidem? Scil. hoc Pollionis silentium aperto Vopisci testimonio opponunt, & ex prima Odenati uxore natum Vhaballathum aut Herodis filium, Odenathi nepotem ex solo ingenio sibi fingunt: in quo tamen inique cum Vopisco agere videntur; cujus fidem & auctoritatem solo alterius Scriptoris silentio confellere & falsitatis arguere student: POLLIONIS verba in vita *Herenniani* hæc sunt: *Odenatus moriens duos PARVULOS reliquit Herennianum & fratrem ejus Timolaum: & mox subdit: PARVVLOS Rom. Imperatoris habitu proferens purpuratos, &c.* Sc. non Zenobiæ historiam ut Vopiscus; sed germanorum fratrum Herenniani & Timolai originem h. l. persequitur Pollio, & aperte eos tantum Odenati filios refert, qui eo e vita excedente PARVVLI erant: Ita Vhaballathum ex filiorum numero non excludit, utpote qui jam natu major patre e vivis migrante fuit: hinc itidem neque Herodis h. l. meminit, quem tamen Odenathi filium priore uxore genitum alibi aperte profitetur. Hactenus ergo non intelligo quo jure sibi invicem opponantur Pollio & Vopiscus; persequeretur quisque institutum suum, & quæ ad rem facere videbantur, omis- sis reliquis, memoriæ commendavit. Sed qui
Vo.

Vopisci auctoritatem labefactare cupiunt ut pro libidine ingenio suo indulgere possint, omnem movent lapidem, ut ejus fidem quibuscunque modis possunt, suspectam reddant: Provocant ad nummos, quibus ΑΘΗΝΟΥ filius perhibeatur, in plurimis enim Aureliani nummis Vhaballathi imago conspicitur diademate vel lauro caput redimitum habens cum hoc epigrammate ΑΥΤ. ΕΡΜΙΑΣ (ap. BEGERUM *Thef. Br. contin.* p. 762. male ΕΡΩΙΑΣ artificis errore) ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΣ ΑΘΗΝΟΥ. (Ex qua Inscriptione constat de Vabalathi prænomine, quod *Angeloni & Salmasius* oscitanter in gentile nomen *Ἀρμενίας* convertere voluerunt.) Ex indubitato hoc nummorum testimonio inferunt, ΑΘΗΝΟΥ ergo filius fuit Vaballathus, non ODENATI ex Zenobia ut Vopiscus tradit. At tanti non esse censent Eruditi hanc objectionem, ut propterea Vopisco fidem derogent: Respondere solent, græcum nomen ΑΘΗΝΟΥ euphoniæ gratia e Syriaco formatum ipsum Odenati nomen esse; imprimis quæ SELLERI observatio est, cum *Malelæ* Scriptori Syro Odenatus semper ΗΝΑΘΟΣ audiat, ex quo per levem literarum transpositionem ΑΘΗΝΟΣ oritur: Vel si cui hæc minus probetur conjectura, quid impedit quominus Odenatho Athenæi agnomen tribuamus: Neque intelligo quid hæc objectio illorum causam juvet; eadem enim difficultas superest, si ex prima Odenati uxore natum Vaballathum asseramus: quin longe major si Herodis filium Odenati nepotem fingamus, cum ex observatione Viri Illustr. EZECH. SPANHEMII Herodiani nummi nihil de hoc cognomine arguant. Sed, ut verum fatear, quæ hæcenus ad
 firman-

firmendam adversus exceptiones vulgatam opinionem de Vaballatho Odenati ex Zenobia filio allata sunt, mihi non omnino satisfaciunt: 1. enim observo *Vopiscum*, qui solus Vaballathi mentionem facit, eum Zenobiæ quidem; sed non Odenati filium perhibere: Nihil ergo priscorum Scriptorum fide nobis de Vaballathi patre constat; nisi prius fuerit demonstratum, Zenobiam alii prius connubio copulatam non fuisse, quam Odenato desponsaretur. 2. Si Vaballathus Odenati filius fuit, non assequor qua ratione TREBELLIVS POLLIO in vita Odenati ubi diligentissime posteros ejus recenset, hunc prætermiserit: Ejus verba sunt: *Odenatus assumpto nomine primum regali cum uxore Zenobia & filio majore cui erat nomen Herodes, minoribus Herenniano & Timolao, collecto exercitu contra Persas profectus est: Adendum fuisset post Herodes, & fratre ejus Vaballatho.* Pollio enim Vaballathum, qui rerum gestarum gloria tanquam Socius Romanorum Herenniano & Timolao clarior erat, ignorare nullo modo potuit. 3. Ingeniosa quidem est illa de ΑΘΗΝΟΥ ex Syro Odenati nomine ad græci oris euphoniâ conformatione & inflexione Eruditorum conjectura; sed quæ plus subtilitatis quam roboris habet; & ad tuendam opinionem, quæ nullis aliis præsiidiis munita est, parum facit: In Inscriptionibus Palmyrenis ΟΥΔΑΙΝΑΘΟΣ & in nummis sine inflexione ad græcam pronunciationem mentio fit: & si absque gravibus rationibus ad hanc nominum permutationem tanquam ad sacram ancoram confugere liceret; nihil omnino certum, nihil constans esset: & optimus in hoc Literarum genere arbiter esset, qui frontis
minus

minus haberet. His rationibus motus vulgatam etiam opinionem rejicio, & Vaballathum Zenobiae filium VOPISCI auctoritate agnosco; eum tamen non ab Odenato (quod sine teste hactenus affirmant plurimi) sed ex priore Zenobiae conjugio Athena Patre genitum esse nummorum fide autumo: Quae opinio hoc imprimis nomine sese commendare videtur, quod plana & facilis, nullis difficultatibus premitur, neque antiquis monumentis vim facit, & iisdem sese armis tuetur, quibus reliquae tantum non subvertuntur: Quid enim mirum TREB. POLLIONEM in recensendis Odenathi filiis nullam Vaballathi mentionem facere, si ΑΘΗΝΟΥ, non Odenati filius fuit? Accedit, ut infra suo loco demonstratum ibo, quod Vaballathus Herennianum & Timolaum ætate tantum antecesserit, ut vero non sit simile germanos ex eodem parente fratres fuisse. Hinc & nodum in scirpo quærere videntur illi, qui non fuisse ex Zenobia natum, inde putant manifestum esse, quod cum Aureliano contra Zenobiam steterit; hoc autem ex nummis adstruunt Aureliani; quorum aversa Caput & Nomen Vaballathi præfert, quo ipso extra controversiam poni censent Vaballathum Aureliani contra Zenobiam Socium fuisse, atque ita concludunt, si Zenobiae filius fuisset, & a partibus ejus in bello stetisset; non conjungi uno nummo cum Aureliano Zenobiae hoste potuisse. Sed levioris momenti est hic Scrupulus, quam qui seria refutatione indigeat: Quid enim necesse est filium seu Principem Juventutis semper a matris partibus stare? Docuit contrarium suo exemplo Pharnaces, qui a parente suo Mithridate deficiens ad Romanos transit: Neque ubi silentis

historia, conjecturis indulgere velimus, difficile est
 ejus facti causas & rationes comminisci vero simil-
 limas: Cum enim Vaballathus, e vivis erepto
 Athena patre & a Mæonio interfecto Odenatho at-
 que Herode jam major natu & prudentia, mino-
 ribus Herenniano & Timolao Odenathi filiis exi-
 stentibus; ad imperii societatem adspiravisset ma-
 tre Zenobia pertinaciter repugnante, quæ filio-
 rum Herenniani & Timolai nomine imperium
 sola invadere & tenere voluit: non sine exemplo
 ad Romanos se contulit, ut illorum præsidio &
 amicitia munitus aliquam inter suos sibi auctori-
 tatem conciliaret, & ad deditonem eos a quibus
 fugerat suo exemplo permoveret: a quibus be-
 nigne exceptus & mox ab Aureliano in Socio-
 rum numerum cooptatus, Romanorum partes
 contra Zenobiam deinceps strenue defendit: Ut
 adeo opus non sit cum FRANCISC. ANGELO-
 NI statuere Aurelianum non Vaballathi honori,
 sed suæ gloriæ consulere voluisse, ut ostenderet
 quantum regem devicisset, & cum matre in tri-
 umphum duxisset, neque cum SALMASIO commi-
 nisci, Aurelianum quod sibi fœminæ mentio-
 nem minus gloriosam putaret, Balathi filii effigi-
 em prætulisse. Hæc ad priorem Quæstionem:
 Restat altera: sc. Quorum nomine Zenobia ori-
 entale Imperium tenuerit? VOPISCUS in *Aure-
 liano* c. 38. *Hoc quoque ad rem pertinere arbitror,
 Balbati filii nomine Zenobiam, non Timolai & Heren-
 niani, imperium tenuisse, quod tenuit.* Contra
 TREB. POLLIO, in *Herenniano*. *Odenatus mori-
 ens reliquit Herennianum & Timolaum, quorum no-
 mine Zenobia, usurpato sibi imperio, diutius, quam
 fœminam decuit, Remp. obtinuit.* Et in Zenobiæ
 vita:

vita: Post Odenathum maritum imperiali Sagulo perfraso per humeros habitu, donis ornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum Herenniani & Timolai, diutius quam femineus Sexus patiebatur, imperavit. Ita cum duo isti Scriptores sibi e diametro adversentur altero affirmante quod alter negat, cui præ altero fides adhibenda sit, parum constat: Et quidem si VOPISCUM audiamus; suspecta nobis erit Pollionis auctoritas; de eo enim in Aurel. Tiberianum quondam judicasse refert, quod multa incuriose; multa breviter prodiderit Pollio. Contra si POLLIONEM consulamus, nulla erroris suspicio subest: cum enim in diversis locis hoc argumentum attingat, sibi ipsi semper constat, & de singulari Zenobiæ erga Herennianum & Timolaum amore luculentum testimonium perhibet: videsis vitam Herod. & Mæonii. VOPISCUS vero quod altero loco adstruit, altero confellit: Siquidem Cap. 22. in Aurel. aperte profitetur; FILIORUM nomine Orientale tenuisse imperium Zenobiam; quo testimonio ipsam Pollionis fidem confirmat, suam labefactat: Præterea fallitur VOPISCUS in eo dum Timolao & Herenniano Imperium negat; quod tribuit POLLIO, & nummi confirmant tam singulares alterius, quam conjunctus utriusque; qui secundi anni Imperii meminere. Accedit quoque Aureliani testimonium omni exceptione majus (a nemine quod sciam hactenus observatum) qui in publicis Literis; quas post devictam & in triumpho ductam Zenobiam ad Senatum dederat, ut captivæ mulieri testimonium ferret; aperte profitetur: Nec ego illi vitam conservassem, nisi eam scissem multum Rom. Reip. profuisse, cum SIBI, vel LIBERIS SUIS Orientis ser-

Uaret Imperium. Denique Zenobiam Vaballathi nomine Imperium nunquam tenuisse; contra vero Vaballathum statim post Odenati cædem una cum matre Imperium invasisse, nummorum fide probatur: Pone Aurelianum sub finem A. CCLXX ad Imperium accessisse; at triennio ante Aurelianum Vaballathum jam regnasse nummorum fide constat, quorum altera facie legitur inscriptio ΑΥΤ. Κ. Α. ΑΥΡΗΑΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. Λ. Α. averfa autem ΑΥΤ. ΕΡΜΙΑΣ ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΥΣ ΑΘΗΝΟΥ. Λ. Δ. adeoque primus Aureliani incidit in quartum Vaballathi annum: Quod magis confirmatur altero nummo, qui Aureliani secundum & Vaballathi quintum refert: quinimmo apud BANDURIUM invenias nummum, qui Aureliani λυ. κβ. δ. cum Vaballathi ε. congruere arguit; ex quo liquet, Aurelianum demum ad Imperium accessisse, cum Vaballathus quartum regni annum jam fuit egressus: Ita Vaballathus sub auspicia A. CCLXVI jam Imperium cepit: Mors vero Odenati, uti ex nummis Zenobiæ ac Vaballathi, nec non Aureliani Triumpho conjicitur, si non in ultimum Gallieni, tamen in proxime superiorem annum incidisse videtur: Gallienus autem teste ZONARA Tom. 2. in ejus vita & TR. POLLIONE regnavit annos XV: ita necesse est, Odenathum anno Gallieni XIV aut ineunte XV, qui supremus Gallieno fuit, a Mæonio interfectum, uxori Zenobiæ ac filiis imperium reliquisse: Desit autem Gallienus in terris morari A. CCLXVII. Ita constare arbitror, siquidem calculum recte subduximus, Vaballathum statim post Odenati necem una cum Zenobia matre Imperium sibi usurpasse; ac proinde hallucinari VO-
PIS.

PISCUM, dum perhibet *Balbatii nomine Zenobiam Imperium unquam tenuisse*; neque etiam locum habere posse ingeniosam illam conjecturam, qua distinguendo tempora Trebellium Vopisco conciliare Eruditi tentarunt, quasi Zenobia aliquamdiu tantum nomine Vaballathi Imperium tenuerit, mox digresso a Zenobia Vaballatho, reliquorum filiorum nomine Herenniani & Timolai Imperium eadem continuaverit. Nimirum ita VOPISCUS suo exemplo confirmavit, quod in *Aurel. perhibet; Neminem Scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum.* Id unum adhuc notandum occurrit, quod apud BANDURIUM in *Numism. Imp.* p. 394. seqq. inter Aegyptiacos Aureliani numm. Aer. III. recensetur aliquis qui Aureliani L. T. cum Vhaballathi L. E. conjungit, quod mihi in mendo cubare videtur; Cum enim ut supra demonstratum est Aureliani primus & secundus annus cum Vaballathi quinto coincidat; fieri nequit ut cum eodem Aureliani quoque tertius conspiret. Has vero nebulas subactissimi Judicii Tui acies facile penetrabit & profligabit; nobisque in Antiquitatis rerumque a memoria nostra remotissimarum caligine clarissimam lucem accendet; quod abs Te, ILLUSTRIS PRINCEPS, in gravissimis argumentis & dudum & nuper factitatum, & universus Orbis Eruditus grata mente agnoscit, & Ingenii monumenta aetatem latura abunde docent; Inprimis vero nupera illa monumentorum rarissimorum Erudita explanatio, quæ rebus obscurissimis uberrimam lucem affundit, & in qua vel peritissimi harum rerum Arbitri, (quod de Clarissimo Canonico *Bapt. Ottio* nostrate Tibi confirmare possum, cui ejus

legendi copiam feci) nihil quicquam desiderare possunt; Ita Seculo nostro gratulantur, redditum in Te his Litteris magnum Decus & Præsidium, quod olim in *Peirescio*, in *Ezech. Spanhemio*, in *Gisb. Cuper*o illis ereptum est: Maxime vero, quæ sub finem Commentarii Tui occasione Inscriptio- nis VII. de Intercalatione Juliana ab Aegyptiis non statim recepta, ut & quæ de numero Senatorum qui in oppidis Judæorum Juridicendo præessent, ad confirmandum Josephi adv. magistrorum testimo- nium erudite & graviter disputas, mirifice me delectarunt; iisque album calculum adjicio. Id unum fortassis, pace Tua, notasse non abs re erit, cum pag. 36. voces παραγνηθεις, ἐπαρχειαν, ἐνδικνυμενος, προσασταν &c. inter Sculptoris Erro- res referendos censes; mihi secus videri: Ego po- tius hanc orthographiam seu scribendi rationem studio sectasse Berenicenses Judæos crediderim: 1. Enim cum eadem vocalium permutatio v. c. ei in i & i in ei repetita in diversis vocibus occur- rat, id non fortuito errori; sed consilio tribuen- dum esse videtur. 2. Velim & hoc adtendi, ab Judæis Hellenizantibus hoc monumentum posi- tum esse; quod stylus Hebræo-Aegyptiaco-græ- cus abunde docet, etiamsi tam splendidum titu- lum non præferret hoc monumentum: quorsum tu recte vocem Ἀναγον, & usum vocabuli ὑπη- γεινος retulisti; sed & peculiarem hunc scribendi morem huc referendum esse censeo; In ea enim opinione sum, Aegyptiacæ seu Alexandrinæ Dia- lecti proprietatem non tantum in peculiari vocum significatione & usu, singulari constructionis ra- tione, sed inprimis etiam in propria & a profano usu remota scribendi ratione quærendam esse, ut

ut pluribus docui in Præf. ad *Tom. III.* Ed. nostræ τῶν ὁ. Ita quoque mirifice sese mihi probavit ingeniosa illa conjectura, qua p. 8. primam Inscriptionem supplendam censes, simulque rationem aperis, qua seductus sculptor integram omiserit lineam; quod quam sæpe Librariis in describendis græcis maxime Codicibus imposuerit, innumeris confirmare possem exemplis. Dedit ad me superiore Augusto mense Amicus Inscriptionem, cujus insigne momentum ad illustrandam antiquam Helvetiæ historiam ipse his verbis notavit: *Il y a environ un mois qu'on a découvert à Moudon un beau monument d'antiquité, un marbre blanc bien ouvrage, avec une Inscription bien conservée. Cette Inscription est bien curieuse par divers Endroits. 1. par le fait qu'elle contient, 2. par l'Orthographe de mots USUS & USUM, 3. par le nom ancien de Moudon, qu'on y voit, MINNODUNUM, comme dans l'Itineraire d'ANTONIN; 4. par le nom de la Colonie d'Avenche. Inscriptio vero ita habet: (*)*

PRO SALVTE DOMVS DIVN
 I. O. M. IVNON. REGIN.
 ARAM. Q. AELIVS. AV..NVS [IIII]. AVG.
 DE. SVO. ITEM. DONAVIT. VICAN.
 MINNODVNENS. * DCC. L. EX
 QVORVM. VSSVR. GYMNA
 SIVM. INDERCI. TEMPOR.
 PER. TRIDVM. EISDEM.
 VICAN. DEDIT. IN. AEVM
 QVOD. SI IN ALIOS VSSVS
 TRANSFERR. VOLVERINT.
 HANC. PECVN. INCOL. COL. AVEN
 TICENSIVM. DARI. VOLO.
 L. D. D. V. M.

Hanc ad Te ILLUSTRIS PRINCEPS, tanquam ad sagacissimum in hoc Literarum genere Oedipum referendam censui: Nobis enim, ut ingenue fatear, hic aqua hæret, & crucem figit, quid illud GYMNASIVM quod Vicanis Minnodunensibus dedit: inprimis vero quid INDERCI. . . TEMPOR. sibi velit? de quo quid Tibi videatur scire vehementer aveo.

Memini me nuper aliquid vel legisse vel accepisse de vastissimo consilio edendi Thesauri numismatici absolutissimi, quod Lutetiæ Parisiorum a nescio qua Literaria Societate susceptum ingente & sumtu & conatu strenue urgeatur; sed ubi legerim aut a quo acceperim non item memini: Ita cum Tu ILLUSR. PR. quicquid ea de re sit, ignorare non potes, omnes illius consilii rationes & progressus ut mecum communicare velis majorem in modum rogo.

Denique cum ex eo die, quo mihi aditus ad Amicitiam Tuam patuit, de meis commodis & ornamentis non cogitare solum; sed agere etiam cœperis, & nullum officii aut studii genus, quod quidem ad meam sive utilitatem sive laudem pertineat, prætermiseris: Eo confidentius & nunc quoque Tuam, ILLUSTRIS PRINCEPS, & fidem & opem imploro: Duo sunt quæ me hoc tempore inprimis habent sollicitum; quorum
alte-

(*) Illustris DE COMITIBUS ita legit: *Pro salute domus divinæ Jovi Optimo Maximo Junoni Reginaæ aram Quintus Aelius Alpinus Sexuir Augustalis de suo. Idem donavit Vicanis Minnodunensibus Sestertia DCCL. ex quorum usura Gymnasium intercisō tempore per triduum eisdem Vicanis dedit in ævum.*

alterum proxime ad meam utilitatem; ad laudem alterum pertinet. Cum paucissima hucusque, quod sciam, exempla Bibliorum græcorum nostræ editionis in Galliam vestram fuerint deportata, quandoquidem cum vestratibus Bibliopolis nullum nobis intercedit commercium, neque adeo venalia usquam prostant; utut Bibliothecæ insigniores, quarum magnum in Gallia numerum esse inter omnes constat, hoc Libro vix carere posse videantur: Spes omnino haud levis affulget, magnum exemplorum numerum apud Vos divendi posse; si qui sint, qui hanc curam in se suscipere velint: Quare velim per Tuos, quos in præcipuis Galliæ partibus Tibi habes obnoxios, hoc negotium bonæ fidei Librariis de meliore nota commendari, quibuscum æquis conditionibus pacisci liceret. Alterum (siquidem eum, qui semel verecundiæ fines transilierit, oportet esse gnaviter impudentem) quod ad laudem meam pertinet, hoc est: Nim. id nunc strenue ago, ut Opus hocce Biblicum quatuor voluminibus comprehensum, quinto Tomo & insigni accessione locupletem ac illustrem; ad eam rem Celeberrimi *Monfalconii*, (qui græcos V. T. Codices, ut Hexaplarem Origenis Editionem restitueret, ingenti studio excussit, & cum editis Libris comparavit) præsidio, amicitia ac benevolentia valde opus habeo; quam si mihi Tu INL. VIR, conciliare posses, ingentem a me inires gratiam: siquidem ejus Viri amicitiam maximo mihi & ornamento & emolumento futuram esse, ita semper persuasum habui: præsertim hoc tempore, quo insigniorum Codd. quos Galliæ Bibliothecæ habent, & notitiam & Lectiones præcipuas valde

requiro ac vehementer desidero. Sed manum
de Tabula! Τὴν ἐμὴν παρρησίαν εὐμενῶς δέχου.
Vale & me ama.

Idibus Januariis. CIOIḶCCXXXIV.

J'avois bien compris, Monsieur, que la nouvelle Edition de la Version des LXX ne pouvoit manquer de vous donner beaucoup d'occupation, & par conséquence d'interrompre pendant quelque tems vôtre commerce ordinaire avec vos amis. C'est ce qui m'avoit fait supporter plus patiemment, que je l'aurois fait en un autre tems, vôtre long silence. Mais cela ne m'a pas empêché de conserver pour vous toute l'estime, que vous méritez, & c'est ce qui m'a engagé à profiter d'une occasion, qui se présenta l'année dernière, pendant un séjour de quelques mois, que j'ai fait en Languedoc, & en Provence, pour vous faire tenir par la voye de Geneve un Exemplaire de mon Explication de quelques Marbres Grecs, qui ont été aporrez en France. J'ai bien jugé que celle de l'Inscription VII, comme la plus considerable, vous arrêteroît plus que les autres, & je suis très flaté qu'elle ne vous ait pas déplu, non plus qu'à un Sçavant du mérite de Mr. le Chanoine OTTIUS. Pour ce qui est de l'Orthographe, d'H pour I, ou au contraire, ce qui me feroit douter qu'elle fût particuliere aux Grecs d'Egypte, c'est qu'on trouve les mêmes variations dans une infinité d'autres Marbres de différends endroits de la Grèce

Grèce. Vous en trouverez des exemples dans les Indices des Recueils de *Gruter* & de *Reinesius*, & il me seroit aisé d'en ajouter une infinité d'autres. Je suspendrai neantmoins mon jugement, jusqu'à ce que j'aye lû ce que vous me marquez en avoir dit dans la Préface du 3^{me} Tome de vos LXX. Car je vous avouë ingénument, que par la faute de nos Libraires cet excellent ouvrage n'est point encore parvenu entre mes mains. Il ne tiendra pas à moi, que vous n'en débitiez en ce Royaume plusieurs Exemplaires, quoiqu'il faille convenir à la honte de notre Siècle, que les livres purs Grecs n'y ont presque plus de débit, & que cette Langue n'y est guère plus cultivée, qu'elle l'étoit au 15^{me} Siècle. Ainsi ces sortes de Livres ne s'y vendent, que pour un très petit nombre de Sçavans, & pour quelques grandes Bibliothèques. Encore la plus part étant fournies de l'édition d'Angleterre, on se soucie peu d'en avoir d'autres. C'est à cela que vous devez attribuer le peu d'empressement de nos Libraires, qui ne jugent des livres que par l'écorce & qui ne sçavent pas combien les soins, & les Notes d'une homme de vôtre sçavoir donnent de lustre à un ouvrage de cette nature. Cependant je m'employerai volontiers à vous en procurer quelque débit, si vous voulez bien me marquer au plus juste sur quel pied de nostre monnoye vous tenez chaque exemplaire.

A l'égard du P. de MONT FAUCON, je n'ai pas manqué de lui faire part de l'article de vôtre lettre, qui le concernoit, & voici en propres termes ce qu'il m'a répondu: *Vous pouvez assurer Mr. Brei-*

Brëitinger, que je me ferai un plaisir de lui rendre Service. Nos Bibliothecaires ont souscrit pour son livre. Il n'a qu'à me marquer ce qu'il soubaite de moi. Je ferai mon possible pour satisfaire. J'ai prié nos deux Bibliothecaires de solliciter les Libraires, qui viennent ici, de faire quelque échange avec lui de leurs melieurs Livres. Je n'y négligerai rien de mon côté. Mais vous scavez que cette etude est fort tombée &c. Il est certain que le 5. Tome, où vous promettiez des diverses leçons nouvelles, & des Remarques de vôtre façon, auroit fort fait valoir cette Edition.

Il y a en effet quelques années, qu'on envoya de Paris le projet d'un nouveau Recueil de Medailles Imperiales, beaucoup plus complet que le Mezzabarba. Il est de la façon d'un Officier de vôtre Nation, qui sert en France, & qui s'appelle, ce me semble, Mr. de ZURBECK. On dit qu'il est très entendu en cette matière, & qu'il a vû dans cette idée avec grand soin tous les plus beaux Cabinets de Paris, & particulièrement celui du Roi, qui est un trésor en ce genre. Mais depuis ce tems là je n'en ai plus entendu parler.

Ce qui m'étonne, c'est que vous ne me parliez pas d'un autre projet pareil, qui s'exécute actuellement en vôtre Ville, par Mr. Gefsner. J'en ai vû le *Prospectus*, qui nous promet des merveilles. Mais je voudrois scavoir si cet Antiquaire est homme à nous tenir parole, & s'il ne ressemble pas un peu au dernier Editeur du Mezzabarba. Franchement son livre nous a inspiré une grande défiance pour ces sortes de gens. Mandez moi, je vous prie en ami, vôtre sentiment là dessus.

J'ai

J'ai lû avec autant de plaisir, que de fruit, votre longue & sçavante Dissertation sur Vhabalathus. Ce que vous dites sur son pere, me paroît fort bien imaginé, & propre à concilier les prétendues contrarietez des Hiltoriens: Mais ce qu'il y a de singulier, c'est que le sçavant Mr. JEAN MASSON, qui a fait autrefois l'*Hist. Critique de la Republ. des Lettres*, & qui est depuis plusieurs années en Angleterre, dans des Reflexions qu'il m'envoya l'année passée sur le même Vhabalathus, s'est trouvé sur ce point de même sentiment que vous, quoiqu'il s'y soit moins étendu.

Il n'en est pas de même de la Médaille ΑΥΤ. ΕΡΩΙΑΣ. Car il m'assure que ce dernier mot se trouve gravé ainsi sur toutes celles, qui sont le mieux conservées, comme il l'a verifié dans plusieurs Cabinets, qu'il me cite, & je me souviens de l'avoir reconnu aussi dans une fort belle Médaille du Cabinet de Mr. le Bret, P. President au Parlement de Provence, que j'ai vû l'Été dernier. D'ailleurs M. Masson prétend, que la Légende doit être luë ainsi: ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΣ ΑΘΗΝΟΥ ΑΥΤ. ΕΡΩΙΑΣ. Ce qui fait voir que ΕΡΩΙΑΣ n'étoit point un des noms de ce Prince. Mais il ne me paroît pas heureux dans sa conjecture sur l'interprétation du mot ΕΡΩΙΑΣ. Car il veut que ce soit la même chose, que ΕΩΙΑΣ, *Orientis*, prétendant sans preuve que l'usage des Grecs Syro-Macédoniens étoit souvent d'insérer le Ρω dans les mots. Il cite seulement Strabon, *Lib. X. p. 688. Edit. Amstel.* où il parle de vos Etruriens venus de l'Elide. Ce qui ne fait rien à la chose. Vous y ferez, Monsieur, vos reflexions.

Pour

Pour ce qui est de la contrariété entre Vopiscus, & Trebellius Pollio, sur le point de sçavoir, sous le nom de qui Zénobie avoit voulu regner, il semble qu'on pouroit la concilier en distinguant les tems. D'abord, pour quelque prédilection particuliere, ou autre raison que nous ignorons, ce fut sous le nom de Vhaballathus. Ensuite, & apparemment peu de tems après, étant mécontente de lui, ce fut sous celui de ses deux autres fils. VOPISCUS s'arrêtant au premier tems a parlé comme il a fait; & peut-être que dans son texte il faut lire: *mox Timolai* &c. au lieu de *non Timolai*. POLLIO au contraire, negligant le premier tems, comme fort court, a dit qu'elle avoit regné sous le nom de ses deux plus jeunes enfans. Comme ces Histoires sont fort abrégées, il n'est pas surprenant qu'il y manque une infinité de choses, qui se feroient trouvées dans des Histoires plus exacts & plus étendus.

Je ne conviendrois pas que Zénobie n'eût pas regné sous le nom de Vhaballathus, par ce qu'il se trouve des Medailles de ce dernier d'abord après la mort d'Odénat. Car c'est peut-être Zénobie elle même, qui les fit fraper, pour marquer que si elle regnoit, ce n'étoit que comme Régente, & c'est ainsi que s'entendent naturellement ces mots: *Vhaballathi filii nomine imperium tenuit*.

Pour ce qui est de la Chronologie des années de ce Prince, & de sa mere, & de leurs concordances avec celles d'Aurelien, vous la trouverez assez bien établie, ce me semble, dans une lettre

tre

tre que Mr. le Baron de la Bâtie m'écrivit en re-
 ponse à celle que je lui avois écrite sur la Mé-
 daille de VHABALATHVS VCRIMPR. Elle est
 imprimée au Tom. IX. p. 443. de la continuation
 des Memoires de litterature par le P. des Molets, 8.
 Paris, chez Simart, en 1730. Apparemment ce
 Recueil se trouvera en vôtre Ville. Mr. MAS-
 SON prétend que la Médaille Grèque, où l'on
 voit d'un côté la tête d'Aurélien, avec les lettres
 numérales L. Δ., & de l'autre la tête de Vhaballa-
 thus, avec les lettres L. Z. est très suspecte. Mais
 la Dissertation de M. de la Bâtie prouve assez le
 contraire, & je crois qu'on peut s'y tenir.

J'ai bien des grâces à vous rendre pour l'In-
 scription trouvée depuis peu à Moudon. Car
 vous savez combien ces sortes de Monumens
 sont de mon goût. Celui ci est des plus singu-
 liers, sur tout à cause de ces mots: INDERCI.
 TEMPOR. PER TRIDVM sur l'intelligence des-
 quels j'avouë qu'il ne m'est encore rien venu à
 l'esprit, qui me satisfasse. J'ai consulté sur cela
 Mr. le Marquis SCIPION MAFFEI, qui est très
 versé en ces sortes de choses. Mais il ne m'a
 point encore fait de reponse. Il semble qu'il
 manque quelques mots en cet endroit, & il seroit
 bon de prier vôtre ami d'examiner encore de plus
 près la pierre.

En voici une autre, qui a été trouvée depuis
 peu dans cette même Ville d'Antre, que le bon
 P. DUNOD avoit prise pour l'ancien Aventicum.
 Elle est aussi fort remarquable, quoiqu'un peu
 mutilée.

VIO. POMPT
 A. LATINI FIL. CAM
 ANO. AEDVO. SA
 CERD. III. PROVN
 IARVM. GALLAR
 CIS. ET. HONO
 S OMNIBUS
 S ICIS.
 TO. SEQ.
 VBLICE

Il me reste à vous témoigner la douleur, que j'ai eue de la perte que vous avez faite de l'illustre Mr. SCHEUCHZER. Je le regrette infiniment par raport à son merite, & aux excellens Ouvrages, que le Public attendoit de lui. Qu'est devenu ce qu'il avoit fait ou préparé pour l'Histoire de Suisse. Ce seroit grand dommage que cela fût perdu. Je suis toujours avec la plus parfaite estime, Monsieur, vôtre très-humble & très-obeissant Serviteur

A Dijon, ce 11. Avril
 1734.

Le P. Boubier.

NOVA